

coetus Christianorum indies crevit, ita, ut Christiani Augustenses jam sub Chlotario, Francorum rege, facultatem impetraverint eligendi Episcopum, quorum primus fuit Sozimus.

Colloquium XVI^{tum}.

De statu religionis hodierno.

LEOPOLDUS et IOHANNES.

L. Cui religioni hodierni cives Augustani sunt addicti? *I.* Christianam quidem religionem universi profitentur, sed quoad præcipua fidei capita, ritusque ecclesiasticos in duas abeunt partes. *L.* Qui sic? *I.* Alii sequuntur doctrinam pontificiam: alii normam Augustanæ Confessionis. *L.* Cur illos nominas pontificiæ religionis assclas? *I.* Quia præter Scripturam sacram obsequuntur Præceptis, Decretisque Pontificum Romanorum & traditionibus